

*Medicina non est scientia proprie dicta.* Propriè verò scientiæ nomen usurpatū Medicinæ attribui non potest. Nam licet Medicinæ quoq; sua sint principia, per quæ suas probat conclusiones, & conclusiones habeat universales: tamen id ad scientiam constituendam non sufficit. Nam & Ars τῶν κατὰ φύσιν γνῶσις est, ut docet Aristoteles, *i. Metaphys. c. 1.* Et intellectus Speculativus, æctivus, factivus habent principia universalia: sine tantum differunt, ut est apud Scalig. *exercit. 307. sect. 31;* aut certè præcipuè differunt. Etenim medicina non modò, ut dictum, sine, qui est sanitatis effectio, non solum cognitio; sed & aliis à scientiarum natura degenerat: cum neq; ad primas causas ascendat; neq; alias, quæ in scientia requiruntur, condiciones observet. Nam primas causas, sine quibus propinquiores satis cognosci nō possunt, investigare nō est medici, sed multa à physico demonstrata præsupponit. Unde rectè ab Avicenna, *prima i. doct. 1.* dictum est: medicum fidē adhibere philosopho, & à philosopho, ut probata, & demonstrata mutuari; An sint Elementa, & quot sint, & quomodo sint; & quæ & quot sint facultates, & similia: Medicumq; si de iis tractet subtilius & diligentius, philosophū potius agere, quàm medicum. Deinde etiam medicus causas cum effectis non æquat, neq; affectiones de propriis subjectis, iis nimirum, quibus per se, primò, & quatenus talia, competunt, demonstrat:

quod tamen ad scientiam necessariū est. Exempli gratia: dum docet hominem constare ex quatuor elementis, temperamentum habere, vivere, nutriri sanguine, sentire, esse morbis obnoxium: non de primo & adæquato subjecto, quod in scientia requiritur, id demonstrat; cum hæc omnia vel omnib. mistis, vel saltem aliis etiam animalibus competant: sed de homine solum, ea de causa, ut cognoscat, in quo sanitas ejus consistat; & ut hinc eā rectius conservare, & amissam restituere possit. Cum enim apud omnes in confesso sit, de elementis, temperamentis, humoribus, nutritione, auctione & similibus *θεωρίαν* Physici propriam esse: facile hinc patet, eandem eodem respectu, nimirum scientiæ & contemplationis gratia, medico non competere. Neq; etiam ex parte Medicina scientia est, ut nonnulli existimant; id quod sequenti capite demonstrabitur.

Ars itaq; est Medicina; & quidem *Medicina est ars omnium nobilissima.* artium omnium nobilissima; tum ratione subjecti, circa quod occupatur, quod corpus humanum est, omnium corporum naturalium longè nobilissimum; tum ratione finis, quem habet unicum, sanitatem nimirum, quam efficit, non alterius externi finis, sed sui ipsius gratia. Ipsa enim sanitas per se expendenda est; utpote pars longè maxima felicitatis humanæ, & ex qua una omnia reliqua mortalium bona e-

A z am,